



**Philippi Servii E Societate Iesv Amicus Fidelis Vsque Ad
Mortem: Sive Modvs Ivvandi Moribvndos, Ægris, Sanisqve
Perinde Vtilis**

Servius, Philippe

Leodii, 1648

§. Tertivs. De cereo accenso, & Christi crucifixi imagine: quorum ille,
moribundo tradi solet in manum: hæc, ostendi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60032)

§. TERTIVS.

De cereo accenso, & Christi crucifixi imagine: quorum ille, moribundo tradi solet in manum: hæc, ostendi.

Cum æger ad extrema properat, cereus accensus datur ei in manus, quasi vitæ lampada alteri iam iam tradituro; & ut eo ritu, testetur se esse è numero eorum qui Christi Domini voci obedire volunt, dicentis: *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris, & vos similes hominibus expectantibus Dominum suum quando reuertatur à nuptijs: ut, cum venerit, & pulsauerit, confestim aperiant ei. Beati serui illi, quos cum venerit Dominus, inuenerit vigilantes.* Luc.
12.

Dicat Amicus fidelis moribundo: *Ecce sponsus venit, exeundum est obviam; sed ante, ardentem hunc cereum accipe, quo significes, ei te, in claritate & lumine fidei (quæ per huius cerei flammam designatur) velle viuere & mori.*

Imitandus hîc Sacerdos quidam
 sanctitatis laude eximius, Consalvus
 Mederius (cuius in suo prodromo
 meminit Drexelius) qui paullò ante
 excessum, accitis socijs, sacrum cereum
 accendi iubet; & recitato symbolo A-
 postolorum, in hac, inquit, fide insti-
 tutus sum, in hac vixi, in hac morior;
 testorque, si quid fortè in extremo a-
 gone contrarium excidat mihi, iam
 nunc indictum & irritum velle. Deinde,
 porrecto brachio, cereoque manu ap-
 prehenso: vt lumen hoc, inquit, ocu-
 los illuminat corporis, sic credo Do-
 minum Iesum illuminare omnem ho-
 minem venientem in hunc mundum;
 quia ipse lumen verum & æternum
 est. Imitetur, inquã, Consaluum mo-
 ribundus, addatque cum Propheta:
*Illumina Domine oculos meos, lumine vere
 fidei ne vnquam obdormiã in morte, nec ubi
 à recto fidei tramite deuiem; nequando
 dicat inimicus meus praualui aduersus eum.*
 Sed potiùs, fidei scuto validissimo,
 omnia nequissimi tela ignea excipiam;
 & in caput eius illæsus retorqueam,
Mat. 4 dicens: *Vade Satana: abrenuntio tibi Sa-
 tana,*

*ana, & adhaere tibi Christe Iesu, Deo meo.
Credo quidquid dixit Dei filius verbo veri-
tatis nihil verius. Credo Domine Iesu,
credo, adiuua incredulitatem meam.*

Non est expectanda hora vltima vt hoc ab agro præstetur: poterit enim ab eo sapiùs & à sanis interdum vtiliter cæremonia illa vsurpari: nescis enim, quisquis es, an non hac ipsa luce, lux tua tibi subtrahatur & extinguitur. Vide ne olei egens, cum fatuis virginibus cælo excludaris: concubia nocte venientem sponsum peruigil expecta, lumbos præcinge, bonorù operum lucentem facem intraturo præluce; quidquid morbi laborum dolorumque superest patienter sustine, ad aule nuptialis limen perdius & pernox accensa lampade, constanter excuba, vt ingredientẽ sponsum subsequaris. *Beati enim, qui ad cenam nuptiarum agni vocati sunt; beatiores, quos cum venerit, Dominus inuenerit vigilantes.*

Apoe.

19.

Luc. 12

I 5 §. QVAR-